12066

Na
y Q26cm

vol. 1 (of 2)

Col o.k.
12 Large hand coloured plates

DOMINICI CYRILLI

M. D. ET IN NEAP. LYC.

MEDIC. THEOR. PROF. &c. &c. &c.

Entomologiae

NEAPOLITANAE

SPECIMEN PRIMUM

NEAPOLI MDCCLXXXVII

FERDINANDO IV.

UTRIUSQUE SICILIAE
ET HIERUSALEM REGI &c. &c.

BONARUM ARTIUM
INSTITUTORI FAUTORI AC PATRONO
MUNIFICENTISSIMO
ENTOMOLOGIAE NEAPOLITANAE
TABULAS DILIGENTER DELINEATAS
VIVISQUE INSECTORUM COLORIBUS
ORNATAS.

D. D. D.

DOMINICUS CYRILLUS.

Clener sc.

PRAEFATIO.

Hiſtoriam naturalem Regni Neapolitani, a nemine uſque adhuc illuſtratam, tanquam Theſaurum profundis Terrae viſceribus abſconditum denſisque tenebris involutum, hujus ſcientiae cultores contemplantur. Plantas rariores, Molluſca & Testacea aliquot, ac pauciſsima inſecta deſcripsit pretioſisque figuris ornavit Immortalis Columna. Egregia quaedam, additis nonnullis etiam obſervatis mineralogicis praeſtitit Incomparabilis Imperati. Summo ſplendore inchoatum opus, obſcuro progreſsu exceptum, noſtra aetate abortivos profecto fructus ſuppeditavit. Multos ſane poſt annos majores mei Botanicas tantum obſervationes inſtituerunt; Hortulum privatum, patriis praeſertim plantis refertum condiderunt; Florae Neapolitanae fundamenta poſuerunt; ſtupendas Herbarii Imperatiani reliquias, Tineis, Blattis & Lepismis saccharinis *abreptas, e tenebris in lucem vindicarunt. Domeſtica magnorum virorum exempla, Botanicum primo ardorem a natura acceptum incredibili vehementia excitarunt. Peregrinationes ideo intra Patriam, adhuc juvenis, ſuscepi; ſemperque novis Florae divitiis onuſtus redii. Sexualis ſyſtematis doctrinas primus Neapolitanis propoſui; primuſque nexum inter Botanicas, & Entomologicas obſervationes animadverti. Linnaeanos Inſectorum characteres civibus meis penitus ignotos declarare conatus ſum. Inſecta Neapolitana primus Linnaeo miſi, uti Vir Cl. teſtatur in Systemate Naturali, variis in locis. Hinc in uberrima, opulentiſsimaque provincia, in noſtra Regione ab omnibus fere Entomologicis haudquaquam perluſtrata multa detexi, rariora adnotavi, pulchriora deſcripsi. Suſceptos in ipſo juventutis flore labores, a quibus me Clinicae graviſsimae occupationes avocaverant continuavit amiciſsimus & diligentiſsimus Nicodemus, in colligendis, diſtinguendis, atque illuſtrandis rebus naturalibus, nemini ſecundus. Doctiſsimi juvenis indefeſsis laboribus noſtram Inſectorum ſuppellectilem locupletatam fuiſse, laetus fateor. Laborum noſtrorum ſpecimen evulgare, operae pretium duxi; ne dum Entomologiae ardore tota flagrare videtur Europa, Inſecta Neapolitana, quae ex parte Africae littora, ſaepiſsimeque remotiores etiam Terrae ſuppeditarunt, in ſylvis, montibus agriſque paluſtribus deliteſcerent. Tabulas ipſe ſummo ſtudio delineare, & inſecta propriis coloribus ornare ſtudui. Imagines inſectorum a me delineatas ſculpſit diligentiſsimus Clener. De ſpecimine tantum, majori qua fieri potuit elegantia, artiſque ſplendore abſoluto, in praeſentia agitur, verum ſi Regis munificentiſsimi, cui opus inſcribi debebat, patrocinium acceſserit, ſi Cl. Viri & de Hiſtoria naturali optime meriti, aliquam ſcientiae utilitatem procurari poſse exiſtimabunt, pulcherrima quae ſupersunt in ſequentibus ſpeciminibus, propediem lucem videbunt.*

TABULA I.

1. SIREX, *mariscus*, abdomine testaceo, segmentis duobus ultimis nigris, thorace villoso. *Linn. Syst. Nat. 11. 927. 7. Fn. Svec. 1577. Fabr. Syst. Ent. 326. 6. Sp. Ins. 1. 420. 11.*
   Habitat in montibus Salernitanis. *Nicodemus.*
   Descriptio Linnaei *Fn. Svec. l. c.* elegantissima. Fabricius *Sp. Ins. l. c.* addit; *Aculeus omnino nullus. Corniculus brevissimus, acuminatus.* Nullam adhuc figuram dederunt auctores.
2. 2. SCOLIA, *flavifrons*, atra, fronte flava, abdomine maculis quatuor flavis. *Fabr. Syst. Ent. 355. 3. Sp. Ins. 1. 452. 5.*
   Sphex bidens Sultz. Hist. Ins. Tab. 27. f. 3.
   Apud nos frequentissima in Allio sativo. Pedes admodum hirti. Unicam Sultzii figuram non vidimus, ac proinde pulcherrimum Insectum delineavimus.
3. SCOLIA, *hortorum*, atra, abdomine fasciis duabus flavis, alis ferrugineis, apice cyaneis. *Fabr. Mantis. Ins. Vol. 1. 281. 12.*
   Habitat in Alliis, frequens. Descriptio optima. Fascia secunda interrupta, duabus tantum maculis constat. Alae tantum primores apice cyaneae.
4. 4. SCOLIA, *emaculata*, hirta, atra, abdomine maculis duabus luteis, antennis flavis. *Fabr. Spec. Ins. 1. 452. 7. Mantis. Ins. 1. 281.*
   Habitat cum praecedentibus.
   Fabricius Insectum primo observavit in Mus. D. Yeats, deinde accepit a doctissimo amico Dom. Vahl, in Hispaniae hortis collectum.
5. SCOLIA, *unifasciata*, subhirsuta, atra, alis violaceis, abdominis fascia unica flava, ano truncato.
   Habitat in sinu Bajano.
   Magnitudo media. Antennae, caput, thorax nigra. Alae corpus aequantes purpureo-violaceae. Abdomen nigrum, truncatum, leviter hirtum, penultimo articulo flavo, glabro.
6. PHALAENA, *trifasciata*, seticornis, alis patentibus luteis, superioribus trifasciatis, inferioribus fascia duplici rosea.
   Phalaena, calabra, *seticornis alis patentibus luteis fascia duplici communi rosea, anticis versus basin fascia tertia lineari.* Petagna. Spec. Ins. n. 199. f. 23.
   Habitat in agro Neapolitano frequenter.
   Figura pessima, descriptio bona. A *purpurata & purpuraria* Linnaei omnino diversa. *Calabrae* nomen improprium, in toto enim Regno occurrit.
7. 7. TINEA, *rorella*, alis albidis, striis longitudinalibus variis, strigisque duabus fuscis.
   Phalaena rorella Linn. Syst. Nat. 11. 886. n. 362. *Habitat in Italia, Cyrillus*; Linn. l. c.
   Circa Lacum Agnani frequentissima. Linnaei descriptio optima. Fabricius speciem non vidit.
8. 8. PHALAENA, *sordida*, seticornis alis ovatis planis, integerrimis, superioribus supra albicantibus, subtus strigis duabus fuscis, interruptis.
   A Nicodemo collecta.
   Descr. Magnitudo media. Alae omnes planae, ovatae, integrae, supra obsolete albicantes, immaculatae. Alae superiores subtus albae, striga majore in medio, angulum internum non pertingente, minore versus apicem, colore ex ferrugineo nigricante. Alae inferiores subtus etiam albicant.
9. 9. PHALAENA, *litterata*, seticornis alis integris superne ferrugineis, litteris Δ & T inscriptis, luteis, angulatis, punctisque albis, subtus albis nigro-maculatis.
   Habitat in montibus *Basilicatae.*
   Descr. Magnitudo media. Antennae setaceae. Alae omnes supra obscure ferrugineae; superioribus in medio versus marginem externum litteris Δ & T inscriptis, maculisque angulatis, albis notatis. Puncta alba in apice. Alae inferiores supra lineis angulatis, punctisque albis. Alae omnes subtus candidae, maculis punctisque nigris plurimis adspersae, margine nigro.
10. PHALAENA, *sacraria*, pectinicornis alis flavis, striga obliqua sanguinea *Fabr. Syst. Ent. 628. 42. Linn. Syst. Nat. 2. 863. 220.*
    Habitat ubique in maritimis. Linnaei descriptio optima.
11. BLATTA, *marginata*, nigra, thorace rufo, albo marginato, elytris nigris, limbo albo. *Fabr. Spec. Ins. App. 502. 17.*
    Blatta marginata *Natuf. 15. 88. tab. 3. f. 16.*
    Habitat in sylvis circa urbem frequenter; cursitat velocissime.
12. 12. SCARABAEUS, *Candidae*, scutellatus, thorace excavato antrorsum cornuto, tibiis anticis tridentatis. *Petagn. Sp. Ins. 3. 9. f. VI. 2. 6.*
    Habitat in agro Salernitano. *Nicodemus.*
    OBS. Variat elytris rufis & nigris. Forte est tantum differentia sexus? Figurae Petagnae *l. c.* pessimae; descriptio bona.
13. BUPRESTIS, *Tenebrionis*, atra, elytris integris truncatis, thorace varioloso dilatato. *Fabr. Sp. 280. n. 43.*
    Buprestis Tenebrionis atra, elytris integris lineato-punctatis, thorace varioloso dilatato. *Linn. Syst. Nat. 2. 662. 11.*
    Buprestis Bruttia, nigra punctis albicantibus maculata, thorace varioloso dilatato albidiore, maculis quinque nitidis, nigris, notata *Petagn. Sp. Ins. 22. n. 108. f. 20.*
    Habitat ubique in Pistacia Lentisco & Terebintho.
    OBS. Diversam speciem a B. *tenebrionis* non crederem. Descriptio *Lin. Fn. Svec.* cum nostro insecto convenit. *Figuram tenebrionis* non vidi.
14. CIMEX, *tristis*, ovatus ater, clypeo orbiculato, thorace retuso. *Fabr. Sp. 360. n. 131.*
    Synonymis adde, Cimex, *spinipes*, ovatus, aterrimus, pedibus atris spinosis Schrank *Enum. 273. 527.* Descriptio optima.

Tab. I.

1.

2.

2.

3.

4.

4.

5.

6.

7.

7.

8.

8.

9.

9.

10.

11.

12.

12.

13.

14.

Dom. Cyrillus del.

A. De Clener s.

TABULA II.

1. GRYLLUS, *Tartaricus*, thorace segmentis tribus, fronte impressa, mandibulis concoloribus. *Fabr. Syst. Ent. 289. 11. Sp. 365. 18.*
   Habitat in hortis nostris per totum fere annum, vegetabilibus valde infestus.
   Figurae Roeselii & Drury malae, elytra enim non maculata habent.
2. 2. 2. APIS, *fulva*, hirsuta nigra, thorace abdomineque fulvis. Schrank *Enum. Ins. 400. 805.*
   Habitat in sylvis frequenter.
   Descriptio auctoris l. c. elegans. *Thorax & abdomen eleganter fulva; reliquae partes omnes, pectore etiam & abdomine subtus nigris; alis non coloratis.*
   Antennae breves, nigrae. Femora ciliata. Magnitudo apis hortorum. Cum speciebus Fabricianis, etiam in Mantissa descriptis non convenit. Una inter figuras femur cum tibia & pede repraesentat.
3. SCOLIA, *neglecta*, nigra immaculata, thorace hirto.
   Habitat in hortis communis.
   DESCR. Est inter minores. Corpus totum nigrum immaculatum. Antennae longitudine thoracis. Thorax niger valde hirsutus. Alae immaculatae.
4. TABANUS, *morio*, niger oculis immaculatis, marginibus segmentorum abdominis albicantibus.
   Habitat in hortis, rarior.
   DESCR. Inter majores, totus niger, oculis immaculatis; pedes nigri. Alae subcaerulescentes. Thorax niger immaculatus.
5. APIS, *ruderata*, hirsuta atra, thorace flavo, fascia atra, abdomine antice flavo, ano albo *Fabr. Sp. 476. 7.*
   Habitat in floribus. A nemine delineata.
6. 6. TINEA, *sexmaculata*, alis ferrugineis, superioribus maculis sex, punctisque albis.
   Habitat in ruderatis & incultis.
   DESCR. Magnitudo media. Antennae filiformes. Thorax cinereus, punctis ferrugineis. Alae omnes ferrugineae; superiorum singulae maculis duabus quadratis albis, altera ad basin, altera in medio; tertia ad angulum internum, cum altera ala sedenti connexa. Figura arabica ∞ transversim jacet inter duas maculas alae quadratas.
7. LIBELLULA, *ferruginata*, alis omnibus puncto marginali nigro, apicibus nigro-maculatis.
   Habitat in hortis rarior.
   DESCR. Magnitudo media. Caput thorax & abdomen ferruginea, linea longitudinali media & lateribus abdominis saturatioribus. Alae hyalinae, versus basin & in margine superiori lutescentes. Praeter punctum nigrum in singulis alis reperitur macula nigra in apice alam terminans.
   OBS. A *quadrimaculata* Linnaei omnino differt.
8. SCOLIA, *mutabilis*, capite thoraceque ferrugineis, abdomine caerulescente, lateribus flavo maculatis.
   Habitat in floribus frequenter.
   DESCR. Media. Antennae ferrugineae, primo articulo longo. Caput, thorax, pedes, alarum basis primusque abdominis articulus ex ferrugineo aurea. Alarum majorum, praesertim apices violacei. Abdomen violaceo ferrugineum, inflexum, ano acuminato. Abdominis latera utrinque maculis flavis quatuor notata. Secundi articuli macula magna fere quadrata, in aliis maculae parvae sunt.
   Statim post mortem maculas amittere incipit, & brevi totum animal nigerrimum colorem assumit.
9. NOCTUA, *algira*, spirilinguis laevis, alis grisescentibus, fascia limboque postico cinereis, apice macula sesquialtera nigra.
   Phalaena algira Lin. Syst. Nat. 11. 836. 98.
   Habitat in collibus maritimis.
   A Linnaeo l. c. eleganter describitur. Fabricius speciem non habet. A nemine adhuc picta.
10. MYLABRIS, *algirica*, atra, elytris testaceis immaculatis. *Fabr. Sp. 330. 3.*
   Meloe algiricus alatus niger, elytris testaceis. *Lin. Syst. Nat. 2. 681. 11.*
   Mylabris immaculata. Fabr. Syst. Ent. App. 828.
   Habitat circa Lacum Agnani & alibi frequens. Figura nulla.
11. 11. PAPILIO N. G., *Proserpina*, alis subdentatis fuscis luteo-maculatis, anticis ocellis supra quatuor, altero didymo, posticis ocellis quatuor subtus coecis.
   Habitat in montibus rarior. *Nicodemus*.
   Magnitudo *Ægeriae*. Supra fuscus, macula magna bilobata lutea ocellata in alis superioribus; fascia fusca marginali. Alae anticae versus apicem ocello magno nigro, pupilla alba; ad marginem ocello didymo donantur. Alae posticae subdentatae supra fuscae, luteo-maculatae, ocellis quatuor minimis, maculisque quinque triangularibus obscurioribus. Alae anticae subtus lineatae lineis margineque fuscis, ocellis quatuor simplicibus. Inferiores subtus albicantes, fasciis undulatis fuscis, punctis quatuor nigris. A Megaera, Ægeria aliisque ejusdem ordinis omnino differt.
12. 12. PAPILIO P. R. *Boeticus*, alis caudatis caerulescentibus, subtus cinereis albo-undatis, angulo ani ocello gemino aurato. *Fabr. Sp. 119. 529. Linn. Syst. Nat. 2. 789. 226.*
   Habitat in pratis non infrequens.
13. 13. PAPILIO N. G. *Allionia*, alis dentatis fuscis, anticis subtus ocellis duobus, posteriori coeco. *Fabr. Sp. 83. 366.*
   Habitat in Appenninis montibus, a Nicodemo collectus.
   Descriptio Fabricii loco citato optima. Maculae inter ocellos binae. Macula tertia triangularis alba, subtus versus apicem alae anticae, ante ocellum pupillatum.

Tab.II.

1.

2.

2.

2.

3.

4.

5.

6.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

11.

13.

12.

13.

Dom. Cyrillus del.

L. Clener scul.

TABULA III.

1. 1. PAPILIO, *Argiolus*, P. R. alis caudatis, supra caeruleis, margine nigris, subtus albidis, punctis nigris sparsis. *Fabr. Sp. 123. n. 551. Linn. Syst. nat. 2. 790. Fn. Svec. 1076.*

Descriptio Linnaei *Fn. Su.* optima, alas vero designat ecaudatas, non caudatas. Nostra species semper ecaudata est.

Alae in nostro Argiolo supra totae caeruleae, nec marginem nigrum habent.

Figuram unicam Roberti non vidimus.

Prior numerus paginam superiorem, secundus inferiorem repraesentat.

Habitat in pratis frequenter.

2. PAPILIO, *Cleopatra*, D. C. alis integerrimis, angulatis, flavis: anticis supra disco fulvo, reliquis puncto ferrugineo. *Fabr. Sp. 479.* n. 160. Linn. Syst. nat. 11. 765. n. 105.

Habitat in hortis.

Figuram paginae superioris apposuimus, quia aliorum auctorum figurae rarissimae sunt.

3. 3. PAPILIO, *Pilosellae*, N. G. alis dentatis fuscis, disco fulvo, anticis utrinque ocello nigro, pupilla gemina. *Fabr. Sp. 80. n. 355.*

Noster variat alis potius nigris, disco fulvo: puncta duo alarum secundariarum, quae ab auctoribus describuntur, deficiunt.

Caeterum non est nova species.

4. TINEA, *argentella*, alis omnibus niveis, superioribus punctis paucis nigris, minimis.

Habitat in sylvis rarior.

DESCR. Statura & habitus T. *Evonymellae*, a qua differt alis omnibus niveis, splendentibus.

Alae superiores punctis rarioribus, minutissimis, nigris notantur. Pedes albi.

5. 5. PAPILIO, *Japygia* N. G. alis dentatis albo, nigroque variis, inferioribus supra ocellis tribus dimidiatis, subtus septem, unico majore.

Ex *Japygia* misit D. Manni

DESCR. Magnitudo & facies *P. Galatheae* sed oblongior. Alae omnes supra nigrae albo maculatae; maculae majores subdenticulatae, prima fere triangularis ad basin; ordo macularum fere triangularium ad marginem extimum. Alae posticae supra nigrae, fasciam albam inaequalem in medio, dein ocellos tres obsoletos, sive dimidiatos, pupilla alba habent; terminantur maculis triangularibus quinque albis. Alae omnes subtus ex viridi-lutescentes. Anticae subtus nigro-maculatae; terminantur serie linearum nigrarum triangularium. Posticae subtus versus basin lineis numerosis nigris decussatis notantur: in medio singulae ocellos habent septem lineis nigris impositos; horum duo ultimi, ad angulum internum positi, pupilla communi dimidiata gaudent; omnes imponuntur triangulis marginalibus nigris.

6. BOMBYX, *unicolor*, alis reversis ex luteo-ferrugineis, unicoloribus.

Habitat in *Japygia*. D. Manni.

DESCR. Magnitudo media. *Antennae* setaceae breves. *Thorax* pilosus. *Alae* omnes integerrimae, ex luteo-ferrugineae.

7. MYLABRIS, *trimaculata*, nigra coleopteris flavis, fascia punctoque communi fuscis. *Fabr. Sp. Ins. 331.* n. 6. *Syst.* Ent. 261. 4.

DESCR. Fabricii *Syst.* Ent. l. c.

Statura praecedentis (nempe M. capensis), *at quadruplo minor, tota atra, laevis. Coleoptra flava, macula communi in medio dorsi & fascia postica fusca, quae tamen marginem exteriorem haud attingit.*

OBS. Prima facie cum descripto insecto nostra species convenire videtur; sed coleoptra non lutea sed testacea. Nulla fasciarum apparentia, sed punctum commune versus basin elytrorum fere quadratum adest; & in singulo elytro versus apicem reperitur macula rotunda nigra.

Ex *Japygia* misit D. Manni.

8. BOMBYX, *Hebe*, alis deflexis albis nigro fasciatis, posticis sanguineis, nigro-maculatis. *Fabr. Sp. Ins. 197.* n. *119.*

Phalaena Hebe elinguis, alis deflexis atris, fasciis albis, inferioribus rubris, maculis nigris. Linn. Syst. nat. 2. 820. 4. 40.

Species ab omnibus Entomologis descripta, in alis superioribus habet fascias quinque albas, quarum 4. et 5. confluentes. In specimine nostro fasciae sunt quatuor; tertia angustissima, uti describitur a Linnaeo, quarta ad angulum ani dilatata, marginem alae terminat. Ex *Japygia* misit D. Manni.

OBS. Alae nigrae sunt albo fasciatae, uti in Linnaeana definitione, non vero albae nigro fasciatae juxta Fabricium l. c.

Fasciae albae, margine tenuissimo sanguineo cinguntur.

Fortasse est tantum differentia sexus?

Tab.III.

1.

2.

1.

3.

4.

3.

5.

5.

6.

7.

8.

Dom. Cyrillus del.

A. Clener sc.

TABULA IV.

1. 1. MORDELLA, *flabellata*, antennis pectinatis, testacea, ore, pectore abdominisque dorso atris. *Fabr. Mantis.* T. 1. p. 219. n. 5. ubi *Sp. Ins. App.* citat, quam non vidimus.
In Appenninis invenit *Nicodemus*.
OBS. Definitio specifica Fabricii omnino speciem nostram designat, quae minime convenit cum Mordella *ferruginea*, *& paradoxa*.
DESCR. Magnitudo & habitus Mordellae *aculeatae*. *Antennae* pectinatae testaceae, pedunculo glabro insidentes, plumarum extremitatibus nigris. Os, oculi, pectus, dorsum abdominis, femora, & pedum anuli, nigra. *Abdominis* pars inferior, cum extremitate truncata, rufa sunt. Caput, thorax, elytra, testacea.
Figura prima n. 1. insectum naturalis magnitudinis; figura secunda ejusdem numeri, exhibet caput, cum antennis, magnitudine auctum.
2. CHRYSIS, *calens*, caerulea, nitida, abdomine aureo, ano quadridentato caeruleo. *Fabr. Sp. Ins. 455.* n. 3.
Ex *Japygia* misit *D. Manni*.
OBS. Descriptio Fabricii optima. Oculi in nostro specimine magni, testacei. Parum differre videtur a C. *oculata* Fabricii, quae oculos fuscos, et anum caeruleum quoque habet; sed nostra anum quadridentatum ut C. *Calens*, non sexdentatum ut C. *aculeata*, possidet.
3. SESIA, *haemorrhoidalis*, alis hyalinis, margine strigaque nigris, ano barbato sanguineo *Fabr. Sp. Ins. 156.* n. 13.
Ex *Japygia* misit *D. Manni*.
Figuram tantum dedit *Cramer*; quam non vidimus. Indiae indigenam facit *Fabricius* l. c.
4. PHALAENA, *vitriolata*, antennis setaceis, viridis, alis superioribus lineis duabus albis, transversis, inferioribus unica.
In Appenninis. *Nicodemus*.
DESCR. Magnitudo media. *Antennae* setaceae longitudine corporis. Alae patentes, colore viridi dilutiore; superiores versus basin, & versus apicem linea alba transversa notantur. Interiores angulatae, angulo in medio prominente, acutiusculo, linea unica alba versus basin transversa donantur. *Corpus* cinereum.
5. MUTILLA, *maura*, nigra abdomine maculis quatuor albis, thorace rufo. *Fabr. Sp. Ins. 495.* n. 10.
Habitat in *Japygia*; *D. Manni*.
Figura adhuc desiderabatur in libris, et tabulis Entomologorum.
6. 6. PAPILIO N. G. *Argo*, alis dentatis albo nigroque variis; posticis ocellis quinque, supra nigris, subtus lutescentibus, duobus remotissimis.
Papilio, *Argo*, alis dentatis albo nigroque variis, subtus anticis ocello sesquialtero, posticis quinque aureis, pupilla glauca. Petagn. Specim. Ins. 36. l. 25.
Ex *Japygia* misit *D. Manni*.
OBS. Figuram paginae superioris neglexit *Petagna* l. c. Ocelli alarum inferiorum supra nigri, pupilla alba, lineis triangularibus nigris imponuntur; duo in margine exteriori a reliquis remotissimi sunt. Ocelli subtus ex aurantio lutescentes, pupillam subargenteam habent. Figuram D. Sultzer non vidimus.
7. 7. PAPILIO, N. G. *Niobe*, alis dentatis fulvis nigro-maculatis, subtus maculis pallidis punctisque quatuor argenteis ocellatis. *Fabr. Sp. Ins.* p. 111. n. 483.
OBS. Cum *Paphia* magnitudine & colore paginarum superiorum omnino convenit. Figura Schaefferi T. 208. f. 1. 2. novam speciem esse persuaserat, quia nullo modo insectum nostrum repraesentat. Sed descriptio Linnaei in Fauna Svecica n. 1067. hanc speciem nos certe delineasse suasit. Linnaeus enim l. c. ait: *Simillimus praecedenti* (nempe Cydippe) *in pagina superiore. Secundariae subtus luteae, fusco tranversae venosae, maculis pluribus; pone has maculas ordo transversalis macularum ex maculis rufo ferrugineis 6., sive 7., quarum 2, 4, 5. pupilla, sive puncto argenteo gaudet. An sexu tantum a praecedenti diversus?*
In sequentibus tabulis delineari debent.
1. Necydalis *atra Fabr. Sp. 264. 4.*
2. Mantis *filiformis Fabr.* mantis. *1. 227. 1.*
3. Cimex *melanocephalus Fabr. Sp. 360. 134.*
4. ..... *tripunctatus Fabr. Sp. 355. 102.*
5. ..... *familiaris Fabr. Sp. 363. 145.* } *vol. 2.*
6. ..... *spiniger Fabr. Sp. 350. 71.*
7. ..... *albolineatus Fabr. Sp. 342. 22.*
8. Curculio *nigrita Fabr. Sp. 197. 211.*
9. Cimex *Geoffroy*.
10. ..... *nugax Fabr. Sp. 366. 171.*
11. Apis *arbustorum Fabr. Sp. 477. 16.*
12. ..... *sexcincta Fabr. Sp. 425. 73.*
Pauca haec speciminis loco apposuimus. Multa supersunt rarissima et incognita, in posterum evulganda.

Tab. IV.

1.

2.

1.

3.

4.

5.

6.

6.

7.

7.

D. Cyrillus del.

A. Clener sculp.

TABULA V.

1. MANTIS, *filiformis*, corpore filiformi aptero. *Fabr. Mantis. Ins. 1. 227. n. 1.*
   Habitat ubique in Regno Neapolitano.
   OBS. Fœmina, quae hoc in loco delineatur, mare duplo fere maior, corpore pedibusque viridibus.; mas corpore est fusco magis attenuato. Pedes antici tenuiores, ac reliquis longiores.
2. CICINDELA, *germanica*, cuprea, elytris viridibus puncto lunulaque apicum albis. *Fabr. Spec. Ins. 1. 285. n. 11. Linn. Syst. Nat. 2. 657. 4.*
   Habitat in Monte Gargano *Apuliae*. *Nicodemus*.
   OBS. *Fabricius Mantis. Ins. 1. 186. n. 15.* addit; *variat colore uiridi, nigro, et coeruleo.*
3. CICINDELA, *flexuosa*, obscura, elytris punctis quatuor, lunulisque tribus albis: intermedia flexuosa. *Fabr. Mantis. Ins. 1. 186. n. 13.*
   Habitat in *Apulia*. *Nicodemus*.
   OBS. Cum Cicindela *lunulata* valde convenit; sed descriptio *Fabricii* l. c. hanc *flexuosam* esse suadet. Nostra elytris est obscure viridibus. Lunula media marginis potius puncta tria inter se filo albo tenuissimo connexa repraesentat.
4. MANTIS, *abiecta*, thorace tereti planiusculo, elytris pedibusque ferrugineis.
   Habitat in *Campania. D. Siciliano*.
   Descriptio. Longitudo linearum decem. Tota dilute ferruginea. Oculi ferruginei prominentes. Antennae eiusdem coloris filiformes, scabriusculae, corpore dimidio breviores. Abdomen fuscum. Elytra pellucida, venosa, convoluta. Pedes simplices gressorii.
5. 5. PAPILIO, P. U., *pygmaeus*, alis integerrimis fuscis immaculatis. *Fabr. Spec. Ins. 2. 139. n. 646.*
   Habitat in *Amalfaeae* orae, et *Stabiae* locis sterilibus. *Nicodemus*.
   OBS. Habitus P. *Commatis*. Apprime convenit cum descriptione *Fabr. Syst. Ent. 536. n. 401.*, exceptis alis subtus pallidioribus. Papilio *Morio Scop. Carn. 464.* qui post *Comma* collocatur, est *totus fuscus, alis subtus maculis pallidioribus. Habitat cum priore*, nempe *Commate*. Speciem Scopolinam pro P. *Malvae* habet *Fabr. Spec. Ins. 2. 137. n. 638.* ibique citat synonymon *Scopoli. Linnaeus* vero P. *Morio Scopoli* non habet in P. *malvae*.
6. ACHETA, *capensis*, alis caudatis elytris longioribus nigra, elytris fuscis basi flavis. *Fabr. Spec. Ins. 1. 354. n. 8.*
   Habitat rarior in Regno, capta Mense Augusti etiam in hortis Neapolitanis.
   OBS. Descriptio *Fabricii Syst. Ent. 281. n. 6.* optima. Setae caudales tres in singulo stylo.
7. MYLABRIS, *10-punctata*; atra elytris testaceis punctis quinque nigris *Fabr. Spec. Ins. 1. 331. n. 5.*
   Meloe 4-punctata Linn. Syst. Nat. 2. 680. 6.
   Habitat in *Apulia* cum M. *Cichorei*.
8. MYLABRIS, *12-punctata*; atra elytris testaceis punctis sex nigris.
   Habitat in *Apulia* cum priore. *Nicodemus*.
   Descr. Minor M. *10-punctata*; tota atra, elytris testaceis punctis sex parvis nigris in singulo elytro, 2. versus basin, 2. in medio, et 2. versus apicem. An varietas praecedentis?
9. 9. PAPILIO, N. P., *Celtis*, alis angulato-dentatis fuscis; maculis fulvis unicaque alba, posticis subtus griseis. *Fabr. Mantis. Ins. 2. 56. n. 556.*
   Papilio N. P. Celtis, alis fuscis fulvo maculatis, posticis subtus lineola albida. Villers. Ent. 2. p. 62. 113. t. 4. f. 11.
   Habitat *Camiliani* in Campania. *D. Siciliano*.
   OBS. Descriptio *Fabricii* l. c. bona; *Villersii* imperfecta. Characterem essentialem constituunt antennae gradatim incrassatae; caput porrectum palpis acuminatis falcatis. Figuram *Villersii* tantum vidimus; ideo nostram adjecimus.
10. MELOLONTHA, *ruricola*, atra sericea, elytris rufis margine nigro. *Fabr. Spec. Ins. 1. 43. n. 45.*
    OBS. A nemine depicta species. Verum multae sunt in hoc genere varietates.

Tab.V.

2.

1.

3.

5.

4.

5.

7.

6.

8.

0.

10.

9.

Dom. Cyrillus del.

Aug. Clener sc.

TABULA VI.

1. MANTIS, *pauperata*, thorace lineari spinuloso, femoribus anticis spina terminatis, reliquis lobo. *Fabr. Spec. Ins. 1. 346. n. 9.*
   Habitat in *Apulia*, et alibi. *Nicodemus.*
   Descriptio *Fabricii* l. c. optima.
2. CIMEX, *carinatus*, scutellaris ovatus, griseo-fuscoque varius, scutelli basi carinata.
   Habitat in *Apulia*, et alibi. *Nicodemus.*
   Descriptio. Est inter maiores. Totus planus, griseus, sive potius testaceus, punctis fuscis undique adspersus. Antennarum articuli apice nigricantes, basi flavescentes. Thorax obtusus, griseus, antice obscurior. Scutellum a basi ad medium in carinam acutam sensim evanescentem elevatum. Abdomen flavescens fusco irroratum. Pedes flavescentes atomis nigris.
   OBS. Cum C. *atomario Fabr. Syst. Ent. 712. n. 73.* aut cum C. *griseo Linn. Syst. Nat. 2. 721. 43.* convenit. At noster scutellum habet longit.ne abdominis.
3. CIMEX, *aeruginosus*, scutellaris rufus, thorace obtuse angulato antice testaceo, pedibus testaceis. Habitat ubique, sed rarior. *Nicodemus.*
   Descr. Magnitudo media. Caput fuscum, cingulo nigro undulato. Thoracis pars antica truncata explanata testacea, postica rufa. Scutellum ex rufo ferrugineum, ad basin triangulo nigricante. Abdomen fuscum lateribus subtestaceis puncto impresso in singulo articulo. Alae rubrae margine externo macula nigra. Pedes et antennae testaceae. Tota superficies punctis irregularibus excavata.
4. 4. LOCUSTA, *falcata*, viridis elytris basi ocellatis, antennis longissimis, alis apice coleoptratis.
   Gryllus cauda ensifera recurvata. Linn. Fn. Suec. 2283. Gryllus falcatus. Scop. Carn. 322. Schrank. Enum. Insect. Austr. 467.
   Habitat in hortis frequenter.
   OBS. *Scopoli* l. c. eleganter insectum describit. Characterem essentialem apponit; nempe *alae margine exteriore versus apicem coleoptratae vi-rides*. Neglexit vero ocellum ovale pellucidum ad basin elytri dexteri, anulo ferrugineo cinctum, et sinistro tectum elytro. Cum Locusta *varia Fabricii*, quoad descriptionem *Syst. Ent. 287. n. 24.* convenire videtur, eo magis quia memorat *Goedartium Ins. 2. p. 142. t. 40.*, cuius figura a nostra non absimilis. Verum idem *Fabr. Sp. Ins. 1. 360. n. 25.* addit synonymon *D. de Geer.* quod reiiciendum.
5. 5. BOMBYX, *candida*, alis deflexis apice rotundatis, niveis, punctis duobus lineaque costali nigris.
   Habitat in *Campania. D. Siciliano.*
   Descriptio. Tinea *evonymella* duplo fere maior. Oculi nigri. Lingua testacea. Antennarum pectines nigri, rachi nivea. Alae deflexae, anticae apice rotundatae supra niveae, in medio punctis duobus nigris minutissimis, lineaque nigra costam percurrente; subtus fuscae, limbo candicante. Pedes externe nivei, interne fusci.
   OBS. cum Phalaena *nivearia Fabr. Syst. Ent. 620. n. 2.*, et cum Ph. *niveata Scop. Carn. 539.* convenire videtur. Sed characteres essentiales differunt.
6. TIPHIA, *femorata?*, nigra femorib. quatuor posticis angulatis rufis. *Fabr. Spec. Ins. 1. 451. n. 1. Syst. Ent. 353. n. 1.* Habitat in floribus.
   OBS. Cum T. *femorata Fabr.* l. c. multum convenire videtur. Differt fronte et thorace pilis fulvis obsitis. Femora rufa basi nigricantia. Fortasse est tantum differentia sexus.
7. NOCTUA, *clavata*, cristata, alis deflexis fuscescentibus margine cinereo; anticis charactere flexuoso argenteo clavaeformi. Hab. in coll. *Nicod.*
   Descr. Omnino convenit cum P. *circumflexa Linn. Syst. Nat. 2. 884. 128.* excepto colore argenteo maculae flexuosae. Haec macula initio linearis incipit a basi interiori; arcu tangit partem marginis cinerei alae, et quasi ex parte plica alae ipsius occultatur; dein extremitate rotunda, latiore, undulata desinit in medio alae.
8. 8. NOCTUA, *parallela*, cristata, alis anticis margine elevato cinereo, disco nigro fasciis duabus parallelis albidis. Hab. *Caniliani. D. Siciliano.*
   OBS. Multum convenit cum *Noct. geometr. Fabr. Sy. Ent. 599. n. 37.* In nostro specimine margo tantum alarum subtus albus nigro-punctatus.
   Descr. Caput, thorax, et alarum anticarum margines elevati, cinerei; discus fere triangularis, niger, fasciis duabus transversis albidis, ad angulum externum vergentibus, parallelis, cum margine cinereo connexis. Fascia postica, terminata margine albidiore, versus apicem maculas tres nigras, sive puncta tria triangularia, tantum habet. Alae omnes subtus fuscae marginibus niveis punctis minutissimis nigris adspersis notantur.
9. CIMEX, *falcatus*, scutellaris griseus thorace antice concavo bicorni, cornubus obtusis apice nigris. Hab. in *Apuliae* Sisymbriis. *Nicodemus.*
   Descr. Totus adspersus pulvere griseo. Caput fuscum. Antennae fuscae. Oculi nigricantes. Thorax falcatus linea transversa undulata divisus, utrinque cornutus, cornubus incurvis, obtusis, nigricantibus. Abdomen lateribus dentato-papillosis. Pedes cinerei.
10. CIMEX, *nervosus*, scutellaris flavicans, thorace scutelloque nervis elevatis longitudinalibus albidioribus.
    Habitat in Carduis. *Nicodemus.*
    Descriptio. Parvus, totus obscure luteus. Thorax utrinque porrectus obtuse spinosus. Nervi prominentes albidiores ad latera scutelli longitudinaliter excurrentes, ad basin fere coeuntes; unico communi suturam mentiente. Nervi tantum quinque per thoracem excurrunt usque ad caput. Femora lutescentia griseo anulata.

Tab. VI.

2.

1.

3.

5.

4.

5.

6.

4.



7.

8.

10.

9.

8.

Dom. Cyrillus del.

A. Clener scul.

TABULA VII.

1. MANTIS, *filiformis*, corpore filiformi aptero. *Fabr. Mantiss. Ins. 1. 227. n. 1.*
   Mas. Foeminae figuram exhibet *Tab. V. fig. 1. Petiv. gaz. tab. 60. f. 2.*
2. MUTILLA, *5 maculata*, hirta, capite thoraceque rufis, abdomine nigro, maculis quinque albis.
   Habitat in *Apulia. Nicodemus.*
   DESCR. Est inter minores. Aptera, hirta. Caput globosum rufum. Antennae, oculi, thorax, pedes rufi, femoribus tantum obscure ferrugineis. Abdomen nigrum, macula solitaria baseos, & quatuor punctis versus apicem per paria dispositis, albis. Aculeus exsertus, rufus.
3. MUTILLA, *europaea*, nigra, thorace rufo, abdominis segmentis margine albis. *Fabr. Spec. Ins. 1. 495. n. 7.*
   Linn. Syst. Nat. 2. 966. 4. Fn. Suec. 1727.
   Schrank Enum. Ins. Austr. 839.
   Habitat cum praecedente.
   OBS. Descriptiones *Schrankii & Fabricii Syst. Ent. 397. n. 7.* optimae. Aculeus exsertus niger abdominis longitudine.
4. CIMEX, *semipunctatus*, scutellaris supra rufus, thorace punctis decem, scutello lineis quatuor nigris. *Fabric. Spec. Ins. 2. 341. n. 16.*
   Habitat in hortis.
5. ACHETA, *italica*, capite thoraceque flavescentibus, elytris aqueis longitudine alae. *Fabric. Spec. Ins. 1. 355. n. 12.*
   Habitat in collibus *Salernitanis*. Quiescens floribus aut foliis incumbit pedibus extensis. *Nicodemus.*
   OBS. Elytrorum superficies plana, lineis decussatis reticulata.
6. ACHETA, *italica*, &c.
   Habitat cum praecedente. *Nicodemus.*
   OBS. Habitus certe praecedentis. Num foemina? Differt vero capite magis exserto; antennis dimidio brevioribus; elytris angustioribus, acutioribus, non reticulatis, fere convolutis, flavescentibus.
7. ARANEA, *hirtipes*, nigra, palpis pedibusque hirsutis pallide testaceis. *Fabric. Mantiss. Ins. 1. 346. n. 55.*
   Petiv. gaz. t. 77. f. 14.
   Habitat *Neapoli. Nicodemus.*
   OBS. Araneam a nobis delineatam ad hanc speciem pertinere suadet descriptio *Fabricii* l. c. Pedes omnes longissimi, praesertim antici. Oculi octo : : : : . Corpus, dum viva, testaceum.
8. CURCULIO, *algirus*, brevirostris cinereus, thorace spinoso sulcato, elytris angulo duplici spinoso. *Fabric. Mantiss. Ins. 1. 120. n. 251.*
   Habitat in Regno Neapolitano passim.
   OBS. A C. *barbaro* differt tantum magnitudine. Num mas? *Linnaeus* enim in descriptione C. *barbari Syst. Nat. 2. 617. n. 88.* ait, *Mas? dimidio minor. Thoracis rugae dorsales rectae nec undulatae excurrunt in totidem rugas coleoptrorum, quarum media in sutura communi, laterales in singulo elytro; insuper in elytro ruga exterior undulata, carinata, et longior.*
9. BOMBYLIUS, *ater*, alis basi seminigris ater, abdomine albo maculato. *Fabric. Spec. Ins. 2. 473. n. 6.*
   Habitat ubique frequens.
   OBS. Basis alarum potius ferruginea quam nigra.
10. NOCTUA *sexmaculata. Tab. II. fig. 6. 6. Tinea sexmaculata*. corrige *Noctua*.
    β Differt haec maculis majoribus tantum quatuor, anticis basim alarum effformantibus. Deficiunt maculae ad angulum ani. Ceterum convenit cum *Noctua* nostra l. c.
11. LYTTA, *erythrocephala*, atra, capite testaceo, thorace elytrisque cinereo lineatis. *Fabr. Spec. Ins. 1. 329. n. 8.*
    Scop. ann. hist. nat. V. 103. n. 82. non *81.* uti legitur in *Fabric.* l. c.
    Habitat in *Campania*, et in *Apulia*.
    OBS. Caput rufum, linea media nigra. Thorax et elytra cinereo-lineata. Num varietas *Lyttae dubiae?*
12. CURCULIO, *nigrita*, brevirostris, femoribus dentatis niger obscurus, thorace scabro, elytris crenato-striatis. *Fabric. Spec. Ins. 1. 197. n. 211.*
    Habitat ubique frequens.
    Adest ad latus pes cum femore dentato.

Tab. VII.

2.

1.

3.

5.

4.

6.

8.

7.

9.

11.

10.

12.

Cyrillus del.

Clener sc.

TABULA VIII.

1. MANTIS, *pauperata*. Tab. VI. f. 1.
   OBS. Hoc in loco Larvam ejusdem insecti exhibuimus, ut metamorphosis illustraretur. Corpus est totum fuscum, albo-maculatum. Appendices femorum iam adsunt.
2. APIS, *luctuosa*, aterrima, segmentis abdominis omnibus utroque latere puncto albo. *Schrank. Enum. Ins. Austr. n. 816.*
   Apis luctuosa Scop. ann. hist. nat. IV. p. *13. n. 9.*
   Habitat in *Campania. Siciliano.*
   OBS. In nostro specimine primus abdominis articulus habet marginem externum album, cum macula marginis horizontali conjunctum. *Schrank.* l. c. ait, *Monet Cl. Scopoli hanc albedinem non semper adesse.* Hanc tamen observationem Cl. *Scopoli* l. c. non habet.
3. APIS, *punctata*, nigra, cinereo-villosa, abdomine atro, segmentis utrinque puncto albo, scutello integro. *Fabric. Spec. Ins. 1. 484. n. 60. Syst. Ent. 385. n. 43.*
   Habitat in Hortis.
   OBS. Nostra differt a specie Fabriciana, quia caput et thorax sunt tota nigra, neque cinereo tomento obducuntur; nec pedum tibiae cinereo-anulatae, sed penitus nigrae sunt.
4. REDUVIUS *iracundus?* niger, thorace abdominisque marginibus rubro-maculatis, elytris rufis. *Fabric. Spec. Ins. 2. 381. n. 21. Syst. Ent. 731. n. 8.*
   Cimex iracundus Scop. carn. 378.
   Habitat in *Apulia.*
   OBS. Nostra species differt a R. *iracundo* femoribus omnibus coccineis, nec nigro fasciatis, aut anulatis, uti describuntur praesertim a *Cl. Scopoli* l. c. sed secundum longitudinem supra nigris, subtus coccineis. In nostro quoque specimine anus etiam niger est. Num sexu tantum ab *iracundo* differt?
5. CIMEX, *spiniger*, thorace obtuse spinoso dentatoque, capite quadrispinoso. *Fabr. Spec. Ins. 2. 350. n. 71.*
   Habitat in campis non infrequens.
   OBS. Descriptio *Fabricii* l. c. optima. Femora grisea albo-maculata.
6. REDUVIUS, *albo-fasciatus*, antennis apice capillaribus, capite thorace elytrisque griseis, abdomine nigro fasciis quinque albis.
   Habitat cum praecedenti.
   DESCR. Antennae apice capillares. Thorax et elytra grisea. Abdomen nigrum fasciis quinque transversis albis. Pedes nigri.
7. ARANEA, *senoculata*, abdomine virescente lateribus flavis. *Fabric. Sp. Ins. 1. 546. n. 49.*
   Aranea (senoculata) oculis tantum senis. Linn. Syst. nat. 2. 1034. n. 30. Fn. Suecic. 2016. Male Fabricius Linnaeum citat in *Fn. Suecic.* ad num. *2036.*
   Habitat in campis.
   OBS. Nostra species per omnia convenit cum A. *senoculata*, quae bene describitur a *Fabricio Syst. Ent. 439. n. 36.* et a *Rajo ins. 32. 24.* Abdomen vero latera habet non viridia, sed ex purpureo-ferruginea. Lineae undulatae coccineae adsunt ad latera abdominis. Puncta minutissima nigra in parte abdominis posteriori. Oculi seni · : : · parvi, nigri divisionem genericam, et pedes tertii paris reliquis dimidio breviores characterem specificum componunt. Figuram *Listeri* non vidimus.
8. 8. MUTILLA, *sexmaculata*, nigra, fronte thoracisque dorso rufis, abdomine maculis sex fasciaque albis.
   Habitat in *Apulia. Nicodemus.*
   DESCR. Aptera, tota hispida. Caput nigrum, frontis macula magna rufa. Thorax rufus anterius nigricat. Abdomen nigrum basi maculis sive punctis tribus; in medio maculis tribus fasciae albae tertii articuli incumbentibus, media majore. Fascia alba in medio prominula. Pedes postici hirsutie alba cinerascunt.
9. 9. CURCULIO, *barbarus*, brevirostris, thorace subspinoso, elytris angulo duplici crispato. *Fabric. Spec. Ins. 1. 194. n. 191.*
   Habitat in Regno Neapolitano frequenter.
   OBS. Oculum cum umbraculo suo ad latus apposuimus.
10. ANDRENA, *hirsuta*, ferrugineo-hirta, pedibus posticis elongatis, apice hirsutissimis. *Fabric. Mantiss. Ins. 1. 299. n. 14.*
   Habitat in hortis.
   OBS. Margo segmentorum abdominis subtus pilis nigris hirsutus.

Quae in explicatione tabularum supersunt spatia non inutile erit definitionibus rariorum insectorum Regni Neapolitani ornare. Littera *f.* insecta designat in sequentibus tabulis delineanda.

1. Asilus *ferox*. Erax *ferox*. Scop. Carn. *977.* f.
2. Asilus *punctatus*. Fabr. Sp. Ins. *2. 463.* f.
3. Syrphus *crabroniformis*. Fabr. Sp. Ins. *2. 430.* f.
4. Syrphus *2-fasciatus*. Conops *2-fasciatus* Scop. Carn. *952.* f.
5. Syrphus *arbustorum*. Fabr. Sp. Ins. *2. 424.* f.
6. Cimex *nigricornis*. Fabr. Sp. Ins. *2. 345.* f.
7. Apis *maculata*. Fabr. Sp. Ins. *1. 482.* f.
8. Cimex *Pedemontanus*. Fabr. Sp. Ins. *2. 342.* f.
9. Ascalaphus *italicus*. Fabr. Sp. Ins. *1. 400.* f.
10. Melolontha *villosa*. Fabr. Mantis. Ins. *1. 19.* f.
11. Scolia *interrupta*. Fabr. Sp. Ins. *1. 454.* f.
12. Asilus *diadema*. Fabr. Sp. Ins. *2. 462.* f.
13. Sesia *Marica*. Fabr. Sp. Ins. *2. 155.* f.
14. Syrphus *3-fasciatus*. Conops *3-fasciatus*. Scop. Carn. *953.* f.
15. Apis *haemorrhoa*. Fabr. Sp. Ins. *1. 481.* f.
16. Nomada *ruficornis*. Fabr. Sp. Ins. *1. 488.* f.
17. Apis *villosa*. Fabr. Sp. Ins. *1. 483.* f.

Tab.VIII.

2.

1.

3.

5.

4.



6.

8.

7.

8.

9.

10.

a

9.

Cyrillus d.

Clener s.

TABULA IX.

1. APIS, *hypnorum*, hirsuta fulva, abdominis fascia nigra, ano albo. *Fabr. Sp. Ins. 1. 478. n. 21.*
   Habitat in hortis.
   OBS. Figura Reaumurii tantum extat, quae tamen imperfecta. Cur Fabricius l. c. ad Geoffroy synonymon apposuerit dubitationis signum (?) ignoro.
2. ARANEA, *sanguinolenta*, abdomine ovato coccineo, linea longitudinali atra *Linn. Syst. Nat. 1032. n. 18.* Vill. Ins. Vol. 4. 95. n. 18.
   Habitat in hortis communis.
3. ARANEA, *formosa*, capite thoraceque sericeo-argenteis, abdomine supra flavo, argenteonigroque cincto, pedibus variegatis *Vill. Ins. Vol. 4. p. 130. n. 125. t. 11. f. 10.*
   Habitat circa *Sanseverinum. Nicodemus.*
   OBS. Descriptio Villersii l. c. longa sed nitida; figura vero mala; difficillimum enim est absque coloribus numerosas maculas lineasque diverso colore pictas repraesentare.
4. BOMBYLIUS, *nigrita*, corpore toto atro, alis basi fuscis, abdominis penultimo articulo margine pilis fulvis ciliato.
   Habitat in *Apulia. Nicodemus.*
   DESCR. Est inter maximos. *Caput*, thorax, pedes, abdomen nigra, densa sed brevi lanugine pubescentia. *Abdomen* ovatum nigerrimum, excepto margine penultimi articuli, qui terminatur serie pilorum fulvorum. Alae basi fuscescentes, immaculatae.
   OBS. Nullam cum descriptis speciebus affinitatem habet.
5. MANTIS, *pectinicornis*, thorace laevi, vertice subulato, antennis pectinatis. *Fabr. Syst. Ent. 276. n. 12.* non *14. Sp. Ins. 1. 347. n. 15.*
   Gryllus pectinicornis. Drury Ins. 1. Tab. 50. f. 1.
   Hubst, apud Fuesli arch. Ins. 8. t. 50. f. 2.
   Habitat circa *Airolam* in *Campania. Nicodemus.*
   OBS. Tantam cum M. pauperata affinitatem habet, ut antennis exceptis, vix pro distincta specie haberi possit. Figura Drury prorsus imperfecta; antennas enim pingit virides, quae ferrugineae sunt; alteram a D. *Hubst* propositam non vidimus.
6. BOMBYLIUS, *apulus*, thorace virescente, abdomine ferrugineo, alis nebulosis, punctis obscure ferrugineis pluribus adspersis.
   Habitat in *Apulia. Nicodemus.*
   DESCR. B. *nigrit.* paulo minor. *Oculi* nigricantes. *Thorax* pallide viridis, laevis. *Abdomen* obscure ferrugineum pubescens. *Alae* nebulosae punctis nonnullis rotundis ex ferrugineo-nigricantibus adspersis.
7. GRYLLUS, *flavus*, thorace carinato, alis flavis, fascia nigra, apice cinereis. *Fabr. Sp. Ins. 1. 369. n. 40.*
   Acrydium nigro-fasciatum viride maculis fuscis, elytris nigro maculatis, alis hyalinis virescentibus, medio fascia nigra. *Degeer. Ins. 3. 493. 9.* Tab. 45. f. 5.
   Locusta capensis alis inferioribus luteis. *Pet. Gazoph. 6.* Tab. 3. f. 6.
   Gryllus alis semiluteis, fascia lutea: corpore subtus fusco-ferrugineo. *Scop. delic. Insubr. 1.* p. 63. t. 24. f. C.
   Habitat in Campis.
   OBS. Figura Petiverii pessima; alteram Degeer non vidimus; quae extat in deliciis Florae & Faunae Insubricae imperfecta.
8. GRYLLUS, *caerulans*, thorace laevinsculo, elytris pallidis nigro-maculatis, alis latere tenuiore caerulescentibus. *Fabr. Sp. Ins. 1. 368. n. 33. Linn. Syst. Nat. 2. 701. 48.*
   Habitat in campis non infrequens.
   OBS. Maculae vel potius puncta minutissima elytrorum potius fusca, quam nigra sunt. Linnaei descriptio l. c. optima.
9. ASCALAPHUS, *italicus*, alis anticis hyalinis: macula duplici baseos flava, posticis flavis basi atris. *Fabr.* Mantis. Ins. 1. 250. n. 2.
   Myrmeleon longicorne alis flavis: maculis duabus nigris difformibus, antennis longitudine corporis *Linn. Syst. Nat. 2. 914. 2.* Mus. Lud. Ulr. 402.
   Habitat in *Campania. D. Siciliano.*
   Villersii observatio maxime ad rem; ait enim; vix a Myrm. *barbaro* distinctum. Caput nigrum hirtum. pilis in medio atris, superne inferneque ferrugineis. Vill. Ins. 3. 62. 6.
10. ASCALAPHUS, *australis*, alis albis: macula marginali nigra, corpore variegato. *Fabr.* Mantis. Ins. 1. 250. n. 4.
    Habitat cum praecedenti.
    OBS. Maculae alarum in definitione specifica nigrae dicuntur, sed tamen sunt fuscae, uti appellantur a Fabricio in descriptione. Corpus in specimini-bus nostris, sive abdomen, in medio barbatum est.

Tab.IX.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

Dom. Cyrillus del.

A. Cleneer s.

TABULA X.

1. 1. LOCUSTA, *albifrons*, thorace postice rotundato laevi, elytris cinereo-nigroque variis, capite pallido, ense apice serrato. *Fabr. Syst. Ent. 286. n. 20. Sp. Ins. 1. 359. n. 20.*

Figura superior *Locustam* lateraliter depictam, cum elytro aperto exhibet, ut ocellum dorsalem vitreum repraesentare possit, atque est Mas. Inferior feminam respicit ejusdem speciei cum elytris alisque expansis & ense abdominali.

Habitat frequens in maritimis.

Æstivo tempore dum Austrini dominantur venti satis aestuosi, horis vespertinis domos intrant & contra muros decidunt, & quidem abundanter hujus speciei *Locustae*, quae migratoriae sunt & maxime stridulae.

OBS. Colores elytrorum post paucos dies mutantur; thorax enim lineola alba undique in ambitu cingitur. Frons ex albo cinerea est, & elytra uberrimis lineis albis, maculis griseis mixtis, ornantur. Sed color albus omnino fere evanescit & in griseum transit. Alae diaphanae immaculatae. Descriptio *Fabricii in systemate Entomologiae* optima. In *speciebus* l. c. non solum in Insula Madera, sed etiam in Italia reperiri scribit. Figura nulla apud Entomologos extat.

2. SYRPHUS, *crabroniformis*, antennis setariis, tomentosus, thorace variegato, abdomine flavo, segmento primo secundoque apice fuscis. *Fabr. Syst. Ent. 768. n. 31. Sp. Ins. 2. 430. n. 44.*

Habitat in Campaniae floribus.

OBS. Descriptio *Fabricii Syst. Ent.* l. c. elegantissima. Anus truncatus apice fuscus.

3. ARANEA, *calvcina*, abdomine globoso pallido flavescente. *Linn. Syst. Nat. 2. 1030. n. 4. Fn. Suec. 1996.*

Aranea Kleinii Scop. carn. 1099.

Habitat in floribus passim.

OBS. Descriptio *Linnaei in Fauna suecica* cum nostra specie omnino convenit. Synonymon *Scopoli* omittendum, nam in diagnosi primum habet *ferrugineum*; sed color omnino sulphureus est.

4. ASILUS, *algirus*, corpore toto ferrugineo. *Fabr. Syst. Ent. 792. 3. Sp. Ins. 2. 460. n. 3.*

Habitat in *Campania. D. Siciliano.*

5. SYRPHUS, *2-fasciatus*, antennis plumatis subpilosus, abdomine flavo: cingulis nigris supra binis: subtus tribus.

Conops bifasciatus Scop. carn. n. 952.

Conops Zonarius. Pod. mus. graec. 118.

Musca Zonaria. Shrank. Enum. n. 921.

Habitat in Campania.

Descriptio *Scopoli* l. c. optima.

Tab. X.

1.

2.

3.

4.

5.

D. Cyrillus d.

Clener s.

TABULA XI.

1.1. PAPILIO, *Jasius*, alis bicaudatis fuscis postice lutescentibus, subtus fascia characteribusque albis. *Fabr. Syst. Ent. 449. 29. Linn. Syst. Nat. 2. 749. 26.*

Papilio Jasius. Drury Ins. 1. Tab. 1. f. 1.

Habitat in Campania circa oppidum *Carinola* in agro ob vinum *Falernum* celebratissimo. *Larua* victitat Ficu. *D. Siciliano.*

OBS. Nil pulchrius & accuratius descriptione Linnaeana. Maculae alarum inferiorum in pagina superiori non albae sed lutescentes, margine inferiori viridi terminantur. Maculae alarum superiorum omnino fulvae. Color alarum inferiorum supra non penitus niger sed ex caeruleo niger. Characteres albi in paginis alarum inferioribus includunt maculas obscure virides non griseas. *Drury* figuram exhibet imperfectam.

2. BOMBYLIUS, *marginatus*, capite thoraceque griseo, abdominis nigri segmentorum marginibus albis, pedibus ferrugineis.

Habitat in Campania. *D. Siciliano.*

DESCR. Magnitudo media. Caput, thorax grisea hirta. Abdomen nigrum subrotundum hirsutum, segmentorum marginibus pilis albis ciliatis. Alarum costa ad basin ferruginea. Pedes ferruginei.

3. ASILUS, *ferox*, niger, fronte, thoracis basi, abdomineque rufis, hirtis, femoribus nigris, tibiis hirsutis ferrugineis.

Erax ferox. Scop. carn. 977. cum optima descriptione.

Habitat in *Apulia. Nicodemus.*

OBS. Ad *Conopsidem* potius quam ad *Asilum* pertineret, juxta *Linnaei*, & etiam juxta nonnullos *Fabricii* characteres. *Proboscis* enim in Conops *est porrecta, elongata; stipite corneo cylindrico, ultra basin geniculato. Antennae approximatae, clavatae, clava acuminata, quadriarticulatae, articulo secundo longiori. Fabr. gen. ins. n. 177.* Haec structura obtinet in nostro insecto; & tamen *Erax Scopoli* est *Asilus Fabricii.*

4. ASILUS, *punctatus*, hirtus, thorace cinereo pubescente, abdomine atro, punctis tribus marginalibus albis, maculisque duabus dorsalibus rufis. *Fabr. Sp. Ins. 2. 463. n. 15.*

Habitat in *Apulia. Nicodemus.*

OBS. Puncta saepe quinque alba, utrinque ad latera abdominis.

5. ASILUS, *ephippium*, hirsutus ater, thorace basi albo. *Fabr. Sp. Ins. 2. 461. n. 6.*

Asilus dorsalis hirsutus niger, antennis muticis, thorace postice villis viridi flavis, Degeer Ins. 6. 239. 2. Tab. 13. f. 9.

Habitat cum praecedenti.

Figuram *D. Degeer* non vidimus.

6. ASILUS, *ater*, hirsutus ater, barba albida. *Fab. Syst. Ent. 793. 9. Sp. Ins. 2. 462. n. 10. Linn. Syst. Nat. 2. 1007. n. 7. Faun. suec. 1910.*

Asilus totus niger subhirsutus, alis atris. Geoff. Ins. 2. 469. 5.

Erax prostratus. Scop. carn. 973. cum optima descriptione.

OBS. Frons alba argentea, pilis nigris: pedes posteriores longissimi.

Habitat cum praecedenti frequentior.

Tab.XI.

1.

3.

4.

2.

1.

5.

6.

Dürylus del.

Clener sc.

TABULA XII.

1. SCOLIA, *interrupta*, nigra cinereo hirta, abdomine atro, fasciis sex flavis, anticis tribus interruptis, ano tridentato *Fabr. Sp. Ins. 1. 454. n. 18.*

Habitat circa *Stabias.*

OBS. Differt certe non parum a S. *7-cincta. Fabricii* descriptio l. c. nostram omnino speciem indicat.

2. BEMBEX, *olivacea*, labio conico flavo, abdomine glauco, segmentorum marginibus nigris, ano tridentato. *Fabr. Mantiss. Ins. 1. 285. n. 4.*

Habitat cum praecedenti. *Nicodemus.*

3. SCOLIA, *6-maculata*, hirta atra, abdomine maculis trium parium flavis. *Fabr. Sp. Ins. 1. 452. n. 6.*

Habitat cum praecedenti.

4. NOCTUA, *pancratii*, laevis alis incumbentibus anticis fuscis, posticis niveis.

Habitat in *pancratio maritimo* in littore prope Urbem.

Figurae quatuor ejusdem numeri integram *Noctuae* hujus metamorphosim ostendunt. Media pertinet ad *Laruam*, frustulo folii *pancratii* haerentem. Laterales *Noctuam* perfectam ostendunt; & media inferior *pupae* sive *Chrysalidis* imaginem praebet.

DESCR. *Larua* obscure viridis maculis transversis luteis numerosis albo marginatis, capite, ano, pedibusque rubris. *Chrysalis* tota ferruginea. *Noctuae* perfectae antennae caput thorax & alae superiores fuscæ. Alae anticae in medio habent lineolas duas obscuriores cum puncto rotundo; subtus pallidiores, sive omnino cinereae. Alae posticae niveae: abdomen supra & ad latera niveum, subtus fuscum: ano barbato fusco: pedes fusci.

5. PAPILIO, *Tages*, P. V. alis dentatis divaricatis fuscis, obsolete albo punctatis. *Fabr. Syst. Ent. 535. 398. Sp. Ins. 2. 138. n. 643. Linn. Syst. Nat. 2. 795. 268. Fn. Suec. 1082.*

Habitat circa *Formianum.*

OBS. Figuras dederunt alii, uti apparet ex recenti synonymia *D. Villers Ins. Vol. 2. 81. n. 162.* nobis ante incisionem insecti non visa.

6. SESIA, *Marica*, alis variegatis, posticis atris, macula baseos hyalina. *Fabr. Sp. Ins. 2. 155. n. 9.*

Habitat Camiliani in *Campania. D. Siciliano.*

Pro Surinamensi a *Fabricio* describitur, nostra vero huic omnino similis.

7. CIMEX, *piceus*, oblongus totus ater.

Habitat cum praecedenti.

DESCR. Oblongus parvus, corpore toto, capite, elytris, pedibus aterrimis nitidis. Antennae setaceae nigrae.

8. PAPILIO, *Liriope*, N. P. alis dentatis, supra albo nigroque variis, subtus anticis fasciis binis repandis nigris, posticis albis immaculatis.

An Papilio, Leucomelas, alis subdentatis, albo nigroque variis; inferioribus subtus pallide maculatis absque ocellis D. Villersii Ins. Vol. 2. p. 38. n. 63. ex opere *D. Esp.*, cujus figuram non vidimus.

Habitat in *Campania. D. Siciliano.*

DESCR. Alarum pagina superior, per omnia convenit cum *Papilione* Galathea; sed anticarum pagina inferior loco oculi habet fascias duas nigras, quarum superior ramosa maculae irregulari similis versus angulum superiorem collocatur; altera incipit a parte media alae, arcu fere in medio marginis inferioris descendit, & terminatur ad angulum internum. Alae posticae subtus albae, immaculatæ sunt. Differt a *Galathea* primo, quia pertinet ad *Nymphales Phaleratos*, non autem *Gemmatos*, ac quia pagina inferior alarum omnino variat.

9. CIMEX, *Pedemontanus*, scutellaris fuscus, atomis numerosissimis albis. *Fabr. Sp. Ins. 2. 342. n. 19.*

Habitat in *Campania. D. Siciliano.*

Tab.XII.

3.

2.

1.

4.

4.

4.

6.

4.

5.

9.

8.

7.

Kyrillus d.

Clener s.